

animus ut atomorum motu cogeretur. id Democritus auctor atomorum accipere maluit, necessitate omnia fieri, quam a corporibus individuis naturalis motus avellere. Acutius Carneades, qui docebat posse Epicureos suam 11
5 causam sine hac commenticia declinatione defendere. nam cum docerent esse posse quendam animi motum voluntarium, id fuit defendi melius quam introducere declinationem, cuius praesertim causam reperire non possunt. quo defenso facile Chrysippo possent resistere.
10 cum enim concessissent motum nullum esse sine causa, non concederent omnia quae fierent fieri causis antecedentibus; voluntatis enim nostrae non esse causas externas et antecedentis. communi igitur consuetudine 24
sermonis abutimur, cum ita dicimus, velle aliquid quempiam aut nolle sine causa; ita enim dicimus 'sine causa' 15
ut dicamus: sine externa et antecedente causa, non sine aliqua; ut cum vas inane dicimus non ita loquimur ut physici, quibus inane esse nihil placet, sed ita ut verbi causa sine aqua sine vino sine oleo vas esse dicamus,
20 sic cum sine causa animum dicimus moveri, sine antecedente et externa causa moveri, non omnino sine causa dicimus. de ipsa atomo dici potest, cum per inane moveatur gravitate et pondere, sine causa moveri, quia nulla causa accedat extrinsecus. rursus autem, ne omnes 25
25 physici irideant nos, si dicamus quicquam fieri sine causa, distinguendum est et ita dicendum, ipsius individui hanc esse naturam, ut pondere et gravitate moveatur, eamque ipsam esse causam cur ita feratur. similiter ad animorum motus voluntarios non est re-
30 quirenda externa causa; motus enim voluntarius eam naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate nobisque pareat, nec id sine causa; eius rei enim causa